



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Nucleus Coppensteinivus Conceptuum Prædicabilium In Dominicas Festaqve omnia per Annum

Coppenstein, Johann Andreas

Mogvntiæ, 1624

De Festo Nativitatis Christi. Verbum Caro factum est: & habitavit in nobis.
Ioan. 1.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51556](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51556)

Ios auertite : æstimate propius inspectum redemptionis pretium, & predicate id omni creatura. Sic factus: simul alios in viros eos repente mutauit.

Exemplū de vi seruorum uoluntariorum.

II. Prodit Iosephus l. 1. de bello Iud. cap 8. Antipatrum, Herodis patrem, de conuincione aduersus Cæsarem, fuisse accusatum. Audiit Antipater: Romam aduolat: oratorem non optat: Cæsari ipsepectus nudat suum; cicatrices ostentat: Hæc, inquit, ô Cæsar accepta pro salute tua, non sunt proditoris tui, sed seruatoris. Virum Cæsar amplexus etiam ab omni suspitione absoluit; arctiusq; dein amauit, ac coluit; totius quoque Iudææ procuratorem constituit. Videte I E S V M, latus, manus, ac pedes ostendentem, &c. Quantum amabitis: coleris?

Refert Xenophon l. 3. Pædiæ. Cyrus Rex Persarum, bello victum, captumque Tigranem, Regem Armenorum, cum Regina mensæ suæ adhibens: illi per iocum ait: Quanti hanc coniugem tuam redimeres? Tigranes ait: Regnum, quod abstulisti, equidem, si haberem, libens pro ipsâ darem: si que non sufficeret, adderem & sanguinem meum. Quo motus Cyrus, regnum eis reddidit; & ipsos regno. Reuersus Rex Reginam percunctatur: Quid tibi de Cyro uidetur vxor mea? An non regno dignus? Illa: Nescio, ait: Nec enim; quid egerit, aut dixerit Cyrus, noui. Nam ita toto eo tempore captiua in te oculos animumque habui, parato me sanguine suo redimere. Nos quârum Regino nostro debebimus? Nil tamen postulariam aliud; quam, Palpate; & Videte. Et quisquam oculum auertere?

Fides scripti. Amor cōiugalit.

Gratia prestita magnitudo.

1. In gratiam magnam Hebræorum, Deus olim stetit in axe solem, Iosue 10. At maior hic amor est & gratia, solem iustitiæ in terram descendisse. 2. Magni amoris erat traductio eorundem per mare rubrum in terram benedictam. At maioris, per sanguinem in Dei gratiam

facta nostri restitutio. 3. Magnum; eos ex seruitute Aegypti exemisse; & maximis hanc plagis multasse: Maximum; ereptos dæmoni in libertatem filiorum Dei vindicasse.

DE FESTO NATIUITATIS Christi.

Verbum Caro factum est: & habitauit in nobis. Ioan. 1.

NOE, Gen. 7. (Poetis Ianus bifrons dictus; ut qui ante, postque diluuium vixerit:) arcam ingressus, ut humani generis reparator futurus, id diluuium exitum in tuta collocauit. IESVS humanæ carnis ingressus arcam ab æternæ damnationis diluuiio ereptos nos in libertatem vindicauit. Felix dies, plena miraculorū: nunciumq; diei felicius! Felix Virgo parens! Felix stabulum, præsepium, scenū; Pastores feliciores?

Super quibus nos

- I. De mysterio Incarnationis generatim.
- II. De gemina Christi generatione.
- III. De generatione in tempore figure.
- IV. Nostra inde documenta figuris illustrata.
- V. De inuoluto panniculis Iesulo.
- VI. Magna, Mira, Leta, que acciderunt.

PARS I.

De mysterio incarnationis generatim.

I. Saia nouum Incarnationis mysterium descripturus, insolito more ita orditur: cap. 53. Quis credidit auditui nostro? Et Brachium Domini cui reuelatum est? Generationem eius quis enarrabit? Quia abscissus est de terra uiuentium. Dicam: Natiuitatem eius quis enarrabit? 2. Ambros. l. de Patriarcha Benedict. ait, Ignorari, vndenam Rhinoceros originem trahat. At Num. 13. Fortitudo eius, Christi, similis est Rhinocerotis

Incarnatio est incomprehensib. 1. Omnib.

2. Homi-nibus.

V u rotis

rotis. Ideo generatio eius ignota captui humano; non Fidei.

3. Salomon. 3. Ignorantiam suam fatetur Salomon Prou. 30. *Tria sunt mihi difficilia: & quartum penitus ignoro. Viam aquile in caelo: Viam nauis in medio mari: viam colubri super petra: & viam viri in adolescentia.* Id est, Christi Ascensionem: Passionem: & Resurrectionem: & Natiuitatem. Etenim via inuenta, & ignota per B. V. Mariae vterum tranfuit sic, vt praedictum Pf. 76. *Et vestigia eius non cognoscentur.*

4. Angeli. 4. Quin ipsi Cherubini ab exordio suam capere nequiverunt. Hinc Ezech. 1. *Cum fieret vox super firmamentum, quod erat super caput eorum: stabant animalia, & submittebant alas suas, intellectus. Vox autem erat: Verbum Caro factum est.* Nam subiicitur: *Et similitudo hominis erat super firmamentum.*

Ideo est mysterium myseriorum. Bene igitur Cyprianus serm. de Nat. Dom. *In ceteris mirabilibus quocunque modo aliqua satisfaciunt rationes: hic solum me complectitur stupor.*

1. Adoratur nomine natum tantum. 11. Qua causa Ecclesia ad vocem: *Et homo factus est: genua flectit tum admirabunda, tum venerabunda.*

2. Creditur. 2. Salomon Templo iam constructo; Arca introducta; victimis immolatis: apparenteque Dei gloria solum in nebula spissa, prostratus in genua, expansis palmis inclamat: 2. Par. 6. *Ergo credibile est, vt habitet Deus cum hominibus. super terram? Quid si vidisset apparentem ore, cultuque humano?*

3. Cernitur oculis. 3. Magi in somnio Nabuchodonosoris interpretando suam ignorantiam demente confessi aiunt, Dan. 2. *Sermo, quem tu quaeris, Rex, grauis est: nec reperietur quisquam, qui indicet illam: exceptis Diis quorum non est cum hominibus conuersatio.* Errant. Quin iam etiam cum bestis est Dei conuersatio.

4. Praedicitur. Ita praedixerunt Prophetae futurum.

1. Baruch. 3. *Posthaec in terris visus est: & cum hominibus conuersatus est.* 2. Ieremias 7. *Habitabo vobiscum in loco isto.* 3. Dauid Psal. 84. *Vt inhabitet gloria in terra nostra.* 4. Edixit factum Ioannes, cap. 1. *Verbum Caro factum est: & habitauit in nobis: Non in flamma rubi: non in nube; non in vertice Sinai: sed in carne nostra; in Virginis gremio. O miraculum.*

O torrentem Ezechielii intranabilem: 4. Non in genis capitur. Ezech. 37. *Eum iussu Angeli ingressus ille primum ad talos: dein ad genua: tum ad usque renes: porro progressuro sic intumuere aquae, vt perisset; ni Angelus ipsum eripuisset. Ille torrens S. Scriptura est, 1. de Creatione: Hae cuius facilis captus est. Eam Plato, & Aristoteles fat intellexerunt. 2. De iustitia Originali, deque amissione eiusdem. Hae paulo profundior, captuque difficilior accidit. 3. De Redemptione, Incarnatione, &c. Hic torrens scripturarum est humanitus inuadabilis.*

III. Nauicula rationis cum tentarunt quidam infelices: at naufragauerunt de fide. 1. Cerinthus abnegauit infantis nostri diuinitatem. Cuius impietati Ioannes scriptum a se Euangelium obiecit: vt ait Hieronymus libr. de script. Eccles. 2. Cerdo, qui duos colens Deos, Bonum, & Malum, negat Iesum vnum esse? 3. Manes Persa, Iesum negat verum assumfisse corpus: sed imaginarium. Quo in errore S. Augustinus nouem ipsos annos deerrauit. 4. Valentinus, negauit e Virgine, sed e caelo corpus eum traxisse.

5. Nestorius Constantinop. negauit Deum ex Virgine natum fuisse, vel Crucifixum; sed merum hominem. Nam duas in Iesu personas, vti & naturas, constituebat. 6. Eutyches e contra, naturas fuisse permixtas, humanitatemque transisse in Diuinitatem: ac vice versa

Naufragia hic haerebant.

verfa. 7. Arius pertendit Iesum meram esse creaturam: ideoque minorem Patre etiam qua Deus est. Quæ hæresis orbem obtinuit totum annis ducentis.

8. Donec Arianus quidam componeret Alcoranum: quo errores Mahumetanorum exorti, ac propagati hodieque dominantur. Ecce naufragia in torrente Incarnationis.

6. Occul-
tum est.

IV. Si in consilium adhibeas sensus; vides paruulum inopem; audis vagientem. Si rationem ad eas; hæc dicit: Hanc incarnationem non intelligo: nescio modum, qui nascatur in tempore æternus, patiatur impassibilis; infinitus capiatur à præsepio. Quanta hic voragine!

Effugit vo-
luit Deus.

1. Eliseus, viduæ puero excitando, corpus corpori, membra membris eius coextendebat: sed ostium occludebat; ne cui patefceret, quod agebat. Ita hic Deus secerere se Tantum tantillo homul- lo coextendit.

2. Nimirum hoc est ænigma, quod Samson, (Deus per Prophetas) Philistæis (humano generi) dedit *Verbum caro factum est*: Quod non paulo difficilius est illo: Iudic. 14. Exiit de forti mel. Nam IESVS est Leo is de tribu Iuda, simul dulcis super mel & fauun. Hoc ænigma hodie diuinandum proponitur.

PARS II.

De gemina CHRISTI Generatione.

Generatio
Iesu di-
plex est, æ-
ter & tem-
poraria.

I. **V**T Generationes; sic & Natiuitates sunt duæ in CHRISTO: Aeterna: qua ex sinu, vel Memoria Patris Verbum natus est: Et Temporaria ex Virgine. De illa Ioan. 1. *In principio erat, &c. & habitauit in nobis*. Hac, vt homo, natus est à fœmina: vt Deus, ex virgine.

Simile.

1. Vt vestis aurea, quam leuidensâ byssitela obducit, per hanc transparet: ita per humanitatem Diuinitas. Huius emicans splendor terrefecit Herodem;

acciuit Magos, pastores, Angelos, stellas.

2. De vtraque Psalm. 61. *Semel locutus est Deus: Duo Hac audini: Quia Potestas Dei est: & Tibi Domine Misericordia*. 3. Augustinus id exponens, ait: *Quomodo semel locutus est, & secundo sonuit. Nisi, qui Verbum intransgressibile procedens à corde Patris suscepit carnem, vt esset homo in vtero matris*. Mira potestas, quæ hominem exaltauit ad Deum! Mira Misericordia, quæ Verbum humiliatum, & exinanitum, nostræ copula- uit naturæ!

Item Po-
tentia, &
Misericor-
dia.

II. S. Leo. *Mirabilior sit nobis in Deo humi- litas; quam potestas: Et difficilius capitur diui- ne Maestatis exinanitio, quam seruilis forma illa*. in summa proeectio. 5. Totum hoc duobus dicit Euangelista: *Verbum caro factum est*.

Hac est mi-
rabilior

Verbum ait, non Filius: Vt spiritalem insinuet generationem; Nil carrale cogites. Sed quomodo natus à Patre est? Pf. 2. Dominus dixit ad me, Filius meus es tu. Ego hodie genui te: in die illo æternitatis scilicet. Dixit: nam Verbum, mens, seu cogitatio Dei fuit Filius Dei; & mutus vtriusque amor fuit S. Spiritus. Quam gloriosa illa generatio: tam obscura ho- dierna.

Æterna
modus.

PARS III.

De generatione temporanea.

I. **E**Cce Virgo partui vicina, exclusa di- uersorij, stabulum sumit campe- stre, cum suo corporis custode Iosepho: parit: adorat: pannis inuoluit. Hic imple- ta figura sunt: 1. Noe. *Gen. 6. finito dam- nationis diluuiio, ex arca veri progreditur, ad genus humanum instaurandum*.

Figura.
1. Noe.

2. Latereculus, *Dan. 4. monte descen- dens; à nemine impulsus, statuam impie- tatis comminuit orbemque replet ipse, Petra autem erat Christus: & Mons in vertice montium est factus sic: vt Psalm. 112. à solis*

2. Lapillus.

Vu 2 ortu,

ortu, vsque ad occasum laudabile nomen Domini sit.

3. *Fluius paradisi.* 3. Fluius est paradiso voluptatis, vtero Virginis emanans Iesus est: cuius torrente aqua vitæ peccata nostra lauantur, orbis fecundatur. De quo Eccl. 24. Ego quasi fluius Dorix, ego quasi aqua ductus exiui est paradiso.

4. *Angelus forte in nube.* 4. Ioannes, Apoc. 10. vidit alium Angelum fortem descendentem de celo, amictum nube: & iris in capite eius. Hic fortis est IESVS; & à summo celo egressio eius: amictus nube nunc carnis; post crucis: iridem seu

5. *Soloriens.* arcum fœderis & pacis gerit. 5. Talem in nube aduentum eius prædixit Isai. 19. Ecce, Dominus ascendet super nubem leuem: humanitatem nullo peccato grauata: ingredietur Aegyptum mundi: & commouebuntur simulacra Aegypti, idololatria, demones, scelera, &c. Hæ figura.

II. Iam Oracula Prophetarum hodie impleta sunt: & ipsa tamen figurarum plena. Mala. 4. Orietur vobis sol iustitia. Vt enim sol oriens idem est, qui ab orbe Cond. et si recens ortus videatur: Ita IESVS, et si natus hodie de Virgine; esse tamen hodie non cepit. Nam in principio erat verbum, &c. e si hodie Verbum caro factum est. 2. Zacharias Luc. 1. Visitauit nos Oriens ex alto.

6. *Sol retrocedens.* 3. Hodie sol cursum suum vertit, & X. gradibus retrocessit; vt Ezechia tempore: 4. Reg. 18. Namque Minuisti eum paulo minus ab Angelis, Deus: quando Verbum caro factum est. Quanta hæc retrocessio?

7. *Os egypti ad.* 4. Hodie ex Adæ soporati latere ex emta costa est, substituta caro, formataque Eva: qua visa Adam dixit: Hoc nunc os de ossibus meis, & caro de carne mea. Quid hoc? Eph. 5. Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico, in Christo. Nam Patres docent: in primis S. Augu. Incarnationem fuisse designatam. Etenim Pater, Ver-

bum quod in sinu eius intellectus delitescibat, carne cooperuit hypostaticis, vt inde Deus sit homo Deus: possitque dicere, Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea.

Ratio comparationis est. 1. Quia vt os, vel costa sub carne latet: Ita Deus sub homine. Psal. 17. Posuit tenebras latibulum suum. Isa. 45. apertius: Vere tu Deus absconditus. 2. Vt ossa, et si vegetentur, nil tamen sentiunt, suntque impassibilia. Ita Verbum Deus est impassibilis in se: in carne vero vel hodie pati cœpit. Impletum ergo Ioan. 19. Os non comminuetis ex eo: significans illæfibilem eius Diuinitatem.

3. Ossa, ait Arist. lib. 2. de part. anim. carnem sustentant: ita Humanitatem Diuinitas, ad tanta pro nobis agenda, patientiaque, roborauit. Vnde hæc illa sic, quasi alloquitur. Pl. 17. Diligam te Domine: quia tu es fortitudo mea. Dominus firmamentum meum: Qui Heb. 1. portas omnia Verbo virtutis tua. Et hic tantus in præsepio, fœno, frigore, nuditate.

Hic natura & omnia obstupescant. 4. *Admiranda.* Abacuc certe, cap. 3. stupens ait. Consideraui Domine opera tua, & expaui: in medio duorum animalium cognosceris, qui inter, imo supra choros Angelorum versabaris.

III. Sed vetuit olim Deus, Deut. 11. Non arabis in boue simul & asino. An forte id seruatum fuit Filio Agricola? Nam hodie Dei filius in præsepio ad id sese præsentat. Ita est: hoc compare Veteris ac Nouæ legis orbem perarabit vniuersum. 1. Et hunc Aratorem Deum & hominem quis non obstupescat? Quid Regina Sabæ illum sic stupescat Salomonem, 2. Par. 2. vt non sit ultra in te spiritus? Hic Salomon iacet: hunc agnosce, &c. adora. 2. Dic cum Dan. 10. Domine, in visione tua dissoluta sunt compages mee, & nihil in me remansit virium: & quomodo poterit seruus Domini mei

mei loqui cum Domino meo? Nihil enim remansit in me virium: sed & habitus meus intercluditur. Ita' ad Angeli conspectum: quid ad Dei? Quid ad Dei Incarnati? Nec Angeli ad hunc fatis obstupescunt. Quo impensius adorant.

PARS IV.

Nostra inde Documenta, item figuris illustrata.

Arca sub pellibus nobis salutis est.

I. **E**Cce Figuras hodie elucidatas. 1. Arca Testamenti sub pellibus: Diuinitas est sub pelle carnis. Dicitur ipse tibi, quod Dauid, 2. Reg. 7. *Videsne, quod ego habitem in domo cedrina: & Arca Dei posita sit in medio pellium?* Quod Vrias Dauidi, 2. Regum 11. *Arca Dei, & Israel & Iuda habitant in papilionibus, & Dominus meus Ioab, & serui Domini mei super faciem terra manent: & ego ingrediar domum meam, vt comedam, & bibam, & dormiam cum vxore mea. Per salutem tuam, & per salutem animam tuam non faciam rem hanc.* Iesus est illa Arca: est Ioab cum seruis Angelis: est ipse Vrias sub dio cubans. At & literas habes Vrias, Iesu, patieris, & oppeter in acie.

Christo morti.

Manus Moysi praecurata.

2. En manum Moyse à sinu productam leprosam. Exod. 4. Iesus est dextera Patris: Et Isai. 53. *Nosputauimus eum quasi leprosum.* Sed Psal. 67. *Hæc mutatio dexterae Excelsi. Qui Angelis imperabat: obsequitur hodie animalibus, coram his plorat.* Et tu ô Domine, *Vt quid aueris manum tuam, & dexteram tuam de medio sinu tuo: vt eam, quasi leprosam ostentui des mundo?* Ps. 73.

Reconciliatus Deo.

II. Alexander Magnus subacta Persia habitum assumpsit persicum, Macedonico tamen non prorsus deposito. Vt gentis vtriusque fauorem sibi, & regnum inter ipsas stabiliret. Ita Iesus, Deus licet, tamen habitu inuentus, vt homo, Psal. 2. *reconciliationem nostrum cum Cœlitibus, est adortus.*

Iona cap. 2. clamante: *Adhuc 40. dies, & Ninive subuertetur: Rex regio fastu posito posuit in saccum se, ac cinerem.* Ita totus in maligno positus mundus subuerti meruerat; sed Rex IESVS in saccum se humanitatis induit, abicit in cineres mortalitatis, pœnitet, iubet pœnitentiam cunctis; spondet gratiam.

Præit nos ad pœnitentiam.

Israel idolatræ mania transuersum actus pœnitere iubetur à Moyse, Exod. 33. Patet, luget, ornatum ponit omnem, saccum indutus. Sed ante omnes Moyse, qui orat, seque etiam deuotet pro populo: Ita Iesus. Et exorarunt ambo. Tantum potuit nuditas, paupertas, humilitas, patientia, pœnitentia! Tantum, Ait Cyprianus ser. de Nat. *Panniculi pro purpura, pro bysso in ornatu regio lacrimæ!*

Exorat pro nobis.

PARS V.

De Isulo panniculis inuoluto.

I. **E**T pannis eum inuoluit. Hic ô quot inuoluta mysteria? Quatuor olim cõqueriebantur homines de Deo. Primum: Quod Deus inaccessibilis. Psal. 41. *Fuerunt mihi lacrymæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, vbi est Deus tuus?* Secundum: Quod manus Dei nimis essent graues. Id. eo Iob. 3. *Manum tuam longe fac à me.* Tertium, Quod in loquendo nimium durus. Ideo Exo. 20. *Ne loquatur nobis Dominus: ne forte moriamur.* Quartum, Quod et si cætera omnia placidus, Maiestate tamen inq; throno terribilis sit. Isai. 6. *Vidit Dominum super solium excelsum & eleuatum, & Seraphim stabant, & clamabant Sanctus.*

Quærela priorum quatuor.

At nunc facessant quærelæ audito ab Angelis, *Inuenietis infantem pannis inuolutum, & positum in præsepio.* Inuenietis eum non fabricantem fulmina, pestes, gladios, non inaccessum, non grauem manibus, non austerum voce, non maiestate formidabilem. Sed in campis expositum, ligatum, vagientem in præsepio.

Nunc præcisa sunt.

*Ligatus est
Samson.*

II. O Samsonem ligatum in sinu, non Dalila; sed Virginis. Vinceris, & vinciris, quia diligis. Ten' virguncula ligat? Non: sed Amor. Vere *Amare, & Sapere vix Deo conceditur.* At sapis. Et heu! Sapientia tua est stulticia coram hominibus. Ideo, 1. Corin. 1. *Nos autem predicamus Christum Crucifixum, Iudeis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam. Nempe, Quae stulta sunt mundi, elegit Deus, ut confundat sapientes.*

Gratia circumscripta

Hodie soluta est quaestio, Iob. 38. *Quis conclusit ostia mare infinitum gratiarum, quando erumpebat; quasi de vulva procedens, natum de irreferata Virgine. Cum ponerem vestimentum eius, & caligine illud, quasi pannis infantiae obuoluerem.*

Adam obiectus.

Adam, ne ad folia refugias; hic inuenit tibi panniculos, quibus tuam obtegit nuditatem. Tu pellibus animantium tectus exis paradiso, ut moriturus instar animalis. Hic caelo exiit, tua tectus pelle, iam insuper panniculo se contegit: nudus olim in cruce exponendus; ac rursus in syndone munda inuoluendus. He, qui Cherubinos vestit lumine, agros illis, plumis aues, operit caelum nubibus, is hic serpit in foeno, interque lacinulas, ac fasciolas.

Homo requisitus, & repertus est

III. Cur & in stabulo? An quia brutalem inducus naturam homo, cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus? Tu Redemptor hominem inter bruta requiris, hospes stabuli? Vere Psal. 35. *Homines & iumenta saluasti Domine. Quemadmodum multiplicasti misericordiam tuam Deus.*

Suscipit in curam.

Laudatur, Luc. 10. Samaritani pietas: Tu is erasipse; mutato nomine de parabola dicetur. Tu spoliatum, seminecem hominem in iumentum Diuinitatis inposuisti, &c. O stabulum Capitolinum! Quin Salomonianum: cui erant 41200. equorum curruum. Tibi plures Angelorum myriades.

PARS VI.

Magna, mira, lataeque acciderunt.

I. Ergo, vt Bernard. sermon. 4. in Vigil.

Nat. Ascende Maria, Noui splendorem solis. Pone in praesepe, inuolue pannis infantem: Nam & ipsi panni diuitiae nostrae sunt. Preciosiores panni Saluatoris omni purpura. Et gloriosius hoc praesens, auratis Regum solis, Ditiore paupertas cunctis opibus, cunctisque thesauris saeculi.

*Magna in
virginitate
pretio.*

S. Anselmus sermon. quodam ista: *Archelaus, Herodis filius, natus in palatio, positus in lecto. Christus in diuersorio natus, in praesepe est reclinatus. Ille pretiosis inuolutus est sericis. Ille vilissimis pannis, & tamen ille contentus. Ille queritur, & suppliciter adoratur.*

*In Nato ad
ora.*

Age anima exi de mundi contemptis Deo palatiis; limina osculare stabuli. Descende cum pastoribus de vanitatum collibus; & praesepe hoc mirare, venerare Sapientiosem Platone; argutiosem Aristotele, Angelis maiorem. Qui dicunt cum Ioann. 1. *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti a Patre, plenum gratia & veritatis.*

*In Infanti
Sapient.*

Vide, quantillus; qui orbem sustentat, ac gubernat omnia, tempora mutat & annos; regna transfert: mortificat & viuificat. *Oculi eius super gentes respiciunt.* Heb. 1.

II. Ecce tibi mutata, nouata omnia. Nam Temporalitas vertit in aternitatem, seruitus in libertatem, mors in immortalitatem, humanitas quali in Diuinitatem, peccatum in gratiam, contemptus in gloriam, paupertas in affluentiam, infirmitas in robur transit. 2. E contra: Deus in hominem, immortalis in mortalem, passibilem, finitum, &c. Creator in creaturam, & aternus in temporalem, Dominus in seruum, &c. Virgo in matrem & virginem: Anima in Deum transit: *Deus nouissime locutus est in Filio.* Heb. 1.

*In Redire
proposuit.*

Ad rot

Mira in
contingen-
tiis.

Ad tot mira ista, quid mirum. 1. Or-
bem totum describi edicto Augusti? 2.
Iani templum occludi, signum pacis v-
niuersalis? Prædictum hoc impleri ne-
cesse, Psalm. 72. *Orientur in diebus eius iusti-
tia, & abundantia pacis.* 3. Quid mirum,
vetari ab Augusto; neu quis Domini sibi
nomen arroget? 4. Magos aduolare,
trepidare Herodem: Doctores oracula
confutare, Pastores audire concentus
Angelorum, bouem ac asinum agno-
scere præsepe Domini: Vineas Engaddi
florere: corruere idola: oracula obmu-
tescere: soles tres apparere: Romæ fon-
tem isse oleo, inque Tiberim influxisse;
Magna hæc, At maiora illa superiora.

Mira in
præfigurati-
onem re-
præsenta-
tiis.

Istis paria hæc. 1. Adamum è terra
virgine formari, hunc è matre Virgine
nasci. 2. A sterili vetula Isaacum, Gen. 20.
Iesum è virguncula deuota progigni. 3.
Rubum, Exod. 3. ardere, & non comburi.
4. Vellus Gedionæum, Iud. 5. irrorari, nec
madescere.

3. Latæ de-
functis.

III. O Latam diem hominibus, quod
Redemptorem; Angelis, quod Domi-
num; Patribus in limbo, quod Messiam
adepti sint! Quale gaudium Patribus,
cum audiuerent natum cunctis gentibus
desideratum? Psalm. 10. *Vox exultationis,
& lætitiæ in tabernaculis iustorum.* Adam
clamat, Hic est Arbor vitæ. Noe, hic est
Arca. Abraham; hic est Benedictio mei
feminis. Iacob; hæc scala mea. Moyse,
hic Rubus ardens. Isaias, hic Flos de ra-
dice Jesse. Daniel; hic lapis auulsus de
monte. Omnes, Hic gaudium & expe-
ctatio plebis est.

Latavi-
uentibus.

Tu vero ó homo, non gaudeas, cuius
natura eo vsque euecta est, vt ei se An-
geli dein submissuri sint. Ecce vel ad pa-
stores iam aduolant gratulatum, qui an-
te se adorari permiserunt à Patriarchis,
Prophetis, Ducibus, Regibus. At post-
ea, se ab Ioanne adorari vetuerunt,

Apocalyp. 19. *Caue. ne feceris, Conseruus
tuus sum.*

Nimirum hoc erat, vade Lucifer, in-
uidia stimuletur, coniurationem iniit
infelix. Legem enim tulerat Deus, in
Cantico; *Adorent eum omnes Angeli eius.*
No. Lucifer cum sociis.

Vt ringa-
tur Satan.

P E R O R A T I O.

I. Exultet orbis igitur, 1. quod, qui Latandū
prius fuit *Lumen de Lumine*, iam Ho-
mo factus est de Virgine. 2. Noua Aca-
demiis Logica nascitur, *Homo est Deus, &
conuersa, Deus est homo.* 3. Athenis Deus
ignotus annunciabitur: 4. Romæ, virgi-
nem peperisse. 5. Ierosolymis, Messiam
aduenisse, orbe toto, Deum natum esse.
Iam illud templum Pacis Romanum oc-
cider, quia virgo peperit. Nam in eius de-
dicatione consultus Apollo respondit,
tum id interituum, cum Virgo pepere-
rit. Teste Innocentio Papa III.

II. Liqueat nunc igitur, Filium Patri *Compara-
tio gene-
rationis
ad extra
ad intra* consubstantialem factum esse & morta-
tione gene-
rationis
ad extra
ad intra
Personis communicat. 1. Sicque se hanc
ad extra
ad intra
Personis communicat. 2. In hac gene-
ratione ad intra Verbum est increatum,
& Deus. In illa est incarnatum, ac Deus
homoque simul. 3. Ibi Trinitas Creato-
rem, hic binitas naturarum in vnitare
personæ constituit Redemptorem.

4. Ibi tres faciunt vnum; hic duo v-
num. *Verbum caro factum.*

III. Hic ergo Fideles canite cum An-
geli *Gloria: inuitate cum Pastoribus: di-
ac sequen-
tus est na-
tus.* scite nouam Theologiam, humilitatem,
paupertatem, &c. audite prædicatorem
in cathedra præsepj.

1. Alexander Magnus, prodit. *Q. Cir-
rius lib. 5. Perfidem subiugaturus, ob vim
niuum retrocedente exercitu, ipse de-
scen-*

scensione facta ex equo, primus niuem inuadit pedes altam; trahit exemplum pudorq; ceteros, seseque penetrant. Iesus nostra inijt frigora externa, & interna: & fidenter sequi dubitabimus?

2. Ionatham per confragosa reptantem, taxa noctu in castra Philisteorum, suus puer affectabatur. 1. Reg. 14. 3. Armiger Saulis viso, quod Saul in gladium incumberet, & ipse in suum sese proiectum transfadegit. Quid nos? Tam horrida non adeunda nobis: & stamus, pedem struimus? Quin in contraria alia omnia rui-mus: ad vitia, superbiam, & c.

IN FESTO S. STEPHANI PRO-
TOMARTYRIS.

*Video caelos apertos, & Iesum stantem
à dextris virtutis Dei.*

Actor. 7.

NAboth, 3. Reg. 23. quod vineam maiorum suorum cedere nollet Achabo Regi impio; Iezabelis Reginae astu reus agitur, & peragitur: Ut regis edicto fuerit lapidatus. S. Stephanus quod vineam Domini Sabbathoth, Ecclesiam pro-dere nollet, ab Synagoga damnatur, la-pidatur.

Nos super ea

- I. De praestantia Martyrij.
- II. De supplicio lapidationis, & Martyrum fortitudine.
- III. De inuictis Protomartyrio Sancti Stephani.
- IV. De visis caelis apertis.
- V. De intendente in caelum.
- VI. De orante pro lapidatoribus sui.

PARS I.

De praestantia Martyrij.

Praestat id omnibus I. **M**artyrium suam & praemij excellentia semper in Ecclesia fuit

pra omnibus, & longe supra Confessorum Virginumq; tropaea: teste S. Th. 1. 2. q. 1. 2. a. 24. 1. Nam Ioan. 15. *Maiores hae dilectionem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Charitas dat pondus operi: sed nulla maior quam Martyrij: quod opere ipso diligit, dans animam, id est, vitam. Qua quid habet pretiosius homo? *Quam dabit homo commutationem pro anima sua?* 2. Quod si igitur, 2. Char. Matth. 16. *Omnis, qui reliquerit domum, vel fratres & c. aut filios, aut agros propter nomen meum; centuplum accipiet, & vitam aeternam possidebit.* Quanto magis, qui perdiderit animam suam in hoc mundo, in vitam aeternam custodiet eam?

11. 3. Deus, Gen. 22. tanti fecit paratum Abrahæ animum ad immolandum filium, ut dixerit: *Per memetipsum iuravi: Quia fecisti rem hanc, & non peperisti vnigenito tuo propter me; benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum, sicut stellas caeli.* At suam dare vitam per Martyrium, quanto maius id est? Ergo maius & praemium. Martyres sunt, qui Deo libere dicere possunt. Ps. 43. *Propter te mortificamur tota die, estimati sumus sicut ovis occisionis.*

2. Si Matt. 10. *Quicumq; potum dederit vni ex minimis istis calicem aquae frigidae, tantum in nomine discipuli; non perdet mercedem suam: quanto certiores is auferet, qui dederit sanguinem suum? Non vita pluris, quam eleemosyna? Dominus, quam discipulus?*

3. Saphora, Exod. 4. ut viro in circumcidendis filiis tardanti, Deumq; offendenti, vitam seruaret; raptim filios recutiuit, dicens: *Sponsus sanguinum tu mihi es, quasi dicat. En, quam te diligam, ut nec libero-rum sanguini pepercerim; te seruem: quare me redamato. Iustus id Martyres Christo dicent.*

4. Si, Gen. 4. *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra vindictam: ut eo cla-*

more